



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Professio Catholica M. Sebastiani Flaschii Mansfeldensis,  
Non Vvlgaris Ervditionis & authoritatis uiri, ubi  
Lutheranam Hæresin, in qua & natus & à pueris institutus  
fuerat, liberè abiurat, simulq[ue] ...**

**Flasch, Sebastian**

**Ingolstadii, 1576**

**VD16 F 1605**

Rationes M. Sebastiani Flaschii Mansfeldensis, cur relicto Lutheranismò ad  
Catholicam Romanam Ecclesiam se receperit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31578**

RATIONES M. SEBASTIA-  
NI FLASCHII MANSFELDENSIS,

cur relicto Lutheranismō ad Catholicam Ro-  
manam Ecclesiam se  
recepit.



I qui sunt, qui causam scire uolunt, quare  
ego M. Sebastianus Flasch Mansfelden-  
sis pertæsus Lutheranismi, in quo natus  
& educatus sum, & quem publicè, & pri-  
uatim, tum in scholis, tum in templis  
propagare & confirmare studui, nunc demum senex,  
& affecta propemodum ætate ad Ecclesiæ Catholicæ  
gremium me contulerim; hi non grauatim legere dis-  
gnentur sequentes rationes, quas obiter, & raptim  
collegi, nullā aliam ob causam, quā ut me apud quo-  
dam maleuolos sinistra suspicione ambitionis, cupiditatis,  
uel alicuius emolumenti corporalis, liberarem.  
Quibus rationibus utinam acquiescerent, & ad con-  
uersionem inuitarentur illi quoq; qui mecum sub eo-  
dem iugo captiuitatis Babylonicæ multis iam annis  
miseram seruitutem seruierunt.

*Prima.* Quodd satis superq; & quidem non sine ad-  
mirationeprehenderim, ex mutua utriusq; collatio-  
ne partis, lectione priuata, & Catholicorum publicis  
cōcionibus, Catholicos longè aliter sentire & docere,  
quā à Lutheranis arguuntur, quodq; doctrinam Ec-  
clesiæ Catholicæ apertis mendacijs deformare, & in  
odium ac contemptū adducere, de industria, & quidem

contra cōscientiam studeant & laborent: Sic enim has  
 bet Augustana Confessio, Catholicos docere, non cō  
 cedendum esse, quòd gratis propter Christum remis  
 sio peccatorū detur. Item Apologia Augustanę Con  
 fessionis asserit, Catholicos ubiq̃ excluso Christo doce  
 re, mereri iustificationē per opera legis. Rursus, Catho  
 licos Mariam Christo æquare, & id genus alia infinita,  
 quæ longum foret hīc ordine enumerare. Et profectò  
 Lutherus ipse eo loco haberi uult, ut si uel semel men  
 tiri manifestē deprehendatur, tanquam infamis nebulo  
 habeatur, qui nihil fidei mereatur in ullo scripto. Quare  
 nemo mihi uitio uertere potest, quòd studio & amore  
 ueritatis, repudiato Lutheri Euangelio & scriptis, in  
 quibus innumerabilia penē deprehendas mendacia,  
 me ad Christi Euangelium, & Catholicæ Ecclesiæ gres  
 sium receperim.

Vide Dietens  
 berg. in con  
 futa. Luth. de  
 uotis & con  
 fess. ubi con  
 uicit & argu  
 it eum 874.  
 mendaciorū.  
 In lib. contra  
 Emserum

De Captiui.  
 Baby. & li  
 bro contra  
 Papatum.

*Secunda.* Quòd deinde ex libris Lutheri manifestē  
 cognouerim, ipsum inuidia potius, quàm pio zelo ad  
 scribendum incitatum; & ad euertendam Catholicam  
 religionem suas tetras & nouas opiniones propagare  
 & stabilire uoluisse.

Libro contra  
 Pap. & Iohā.  
 Farcimen.  
 Item in ferm.  
 conuualibus.

*Tertia.* Quòd etiam in eiusdem scriptis & Tomis  
 tantam inuenerim uerborum turpitudinē & scurrilem  
 obscœnitatem, ut etiam lenones ipsos & omnem scors  
 torum impudentiam facile uincat, quibus cū plurimas  
 paginas conspurcatas habeat, nō difficile esset exempla  
 afferre, nisi pias & religiosas aures offendere uererer.

In prefati.  
 Bibli. Lutheri  
 Vide Emser.  
 Vice. Dietem.  
 Staph. Lin  
 danum.

*Quarta.* Quòd in super certò compererim, Lutheras  
 nos non modò integros libros (aliòquin ab Ecclesia  
 approbatos) tanquā apocrypha scripta ex sacre Scripturæ  
 Catalogo reijcere; sed etiam libros, quos retinent,  
 passim

palsim in infinitis locis de industria corrupisse ac de-  
prauasse ad nouam suam uanam doctrinam melius cō-  
firmendam. Quòd si adulterare monetam, uel Regias  
litteras capitale censetur; quantò magis scelus capitale  
existimandū est, scripta Prophetica & Apostolica mu-  
tilare, peruertere, & falsa interpretatione contamina-  
re? Quemadmodum Lutherus plerunq̄ facere consue-  
uit, qui conciliandæ sibi maioris authoritatis gratia, om-  
nes alios, quantumuis pios interpretes, ab ipso discre-  
pantes ex alto despicit & contemnit, nec quicquam uas-  
lere sinit, quàm quod ipse dixit.

*Quinta.* Quòd itē perspexerim, eos palsim in inter-  
pretatione scripturæ ludere & cōminisci, addere & de-  
mere, quicquid libet, modò fucò aliquo uelari possint ad  
simplicibus imponendū. Sed de suis corruptelis conui-  
cti, sic à Magistro suo Luthero respondere docentur:  
D. Martinus Lutherus uult sic habere; & dicit, Papistā  
& Asinum esse rem unam; Sic uolo, sicut iubeo, sit pro-  
ratione uoluntas; Nolumus enim Papistarum schola-  
res aut discipuli esse, sed magistri ac iudices. Quis autem  
in hac causa non mallet audire & sequi uersionem &  
interpretationem ab Ecclesia approbatam, uel item  
uocem Christi, & Apostolorum, quàm periuri & per-  
fidi Monachi impudentem temeritatem?

*Ad quendam  
amicum Tom.  
4. germ. Vi-  
tenber. folio.  
475.*

*Sexta.* Quòd simul eò peruenerim in inquisitione  
ueritatis, ut quæ antea cōsentanea esse Scripturæ & Pa-  
tribus credidi, ea nunc cum ipsis ex Diametro pugnare,  
& longissimè discrepare notauerim.

*Septima.* Quòd postea etiā deprehenderim, eos non  
solum sacram Scripturam, sed etiam sanctorum Patrum  
testimonia & scripta partim adulterare, partim ad sta-

bilenda propria commenta uanè & sinistrè interpres-  
tari & detorquere: Quod c̄p̄ per Dei gratiam nunc tan-  
dem intellexerim, quàm mirabili & artificiosa fallacia  
hominum mētes perstrin gant in Scripturis sacris miri-  
ficè extollendis & citandis Patribus & Concilijs: Cūm  
tamen non aliò loco reuera Sanctos patres & Concilia  
habeant, quàm quo loco Alcoranū Mahometi, & Æso-  
pi fabulas, & pluris in ueritate axiomata sua faciant, quā  
ipsam Scripturam sacram: Nam quod ad Patres attinet,  
si auctoritate eorum urgeantur, uel impudenter rei-  
ciunt, uel si deprauare uel aliò loco torquere non possunt,  
se eos recipere afferunt, sed quatenus cū Scriptura  
consentiunt. Quasi non eatenus etiam Alcoranum, &  
Æsopi fabulas recipiant. Quomodo uerò ad scripturam  
eos examinent, inde notum est, quod non Scripturam  
ipsam, sed suadogmata, siue propria axiomata Scripturę  
regulam faciant: Nam si quod Conciliū dicat esse Pur-  
gatorium, aut Missam esse sacrificium, statim reiicitur:  
non quia hoc ulla scriptura neget, sed quia eorum do-  
gmatibus aduersatur. Ita Epistola S. Iacobi ad dogma  
Lutheri: Sola fides iustificat, est examinata: & quia do-  
gmata Lutheri euertebat, pro straminea est reiecta. Sic  
secundus Machabeorum ad alterum dogma examina-  
tus est: Non offerendum uel sacrificandum pro mor-  
tuis: Et quia nō quadrabat, in apocryphos reiectus est.  
Quis igitur credat, eos summam auctoritatem (ut ui-  
deri uolunt) Scripturę tribuere, cū non solum Pa-  
tres & Concilia, sed etiam ipsam Scripturam ad regulā  
suorum axiomatū examinent, explodant & reiiciant e-

vide Sande-  
rum lib. 8.

Octaua. Quod ex scriptis S. Patrum didicerim, do-  
ctrinam Lutheri nihil ferè aliud esse, quàm quoddam  
chaos,

chaos, & ueluti farraginem quandam ex obsoletis hæresibus, & erroribus antiquorum hæreticorum collectam, quos iam dudum Concilia legitima & S. Patres uero DEI uerbo magno consensu reiecerunt, refutarunt, anathematizarunt, & ex Ecclesia profligarunt.

de Monarchia uisbi.

Cap. 57.

Lind. de Tabulis.

*Nona.* Quod etiam animaduertim, Lutherum in multis locis à seipso longissimè dissentire, & crebro pugnantia dicere, atq; adeò semetipsum proprio iudicio damnare & mendacem reddere.

Vide Fabium de antilogiis Luthe.

Item Septicipitem Cochlei.

*Decima.* Quod cum ipse Lutherus iactet, se certissimum esse, quod doctrina sua non sit sua, sed Christi omnibusq; deneget salutem, quicunq; eam non recipiunt; tamen obseruauerim, eum subinde de Doctrina sua dubitare, imò asserere, se credere non posse, uera esse, quæ tradidit, & scripsit in libris suis. Nec mirum, cum alibi fateatur, se ne Christo quidem credere posse, & eius uerbis firmiter confidere, quippe qui affirmet, se plus fiduciæ collocare in sua Catharina & Philippo, quam in Christo.

Contra Regem Angliæ aduersus falsum stat.

Ecclesiast.

In 1. Timoth. 2.

Tom. 1. Ger. Vuittenb. & super Psal. 45.

Tom. 3. in serm. conuualibus titulo

*Undecima.* Quod ad hæc solidis argumentis conuictus sum, ut affirmare audeam & debeam, gregem Lutheranorum esse populum sine uera Dei Ecclesia, sine Sacrificio, Absolutione, Sacramento Altaris, ueris Sacerdotibus & ministris. Ex quorum numero aliquot annis (proh dolor) me unum quoq; fuisse fateor, & ex animo doleo, qui neq; ritè, neq; legitimè, seu modo Ecclesiastico uocatus, ministerium uerbi & Sacramentorum apud miseram plebem administraui.

de Prophetis & Patriarchis.

Item titulo de operib. Dei, & titulo de Christo, & de sola fide.

*Duodecima.* Nec parum inuitatus sum & hac ratione, quod Lutherani conscij sibi de defectu ueritatis & errore, sententiam quandoq; suam munire cõtendunt Patrum.

Patrum authoritate & testimonijs, quibus ut uideantur consentanea & uerisimilia tradere, multa & uaria ipsorū dicta insidiosè & perperam pro se citant, suasq; hæreses illis affingunt: quin & apertè de illis mentiri non uerentur. Atq; ut exempli gratia unū atq; alterum afferam, Apologia Augustana affingit S. Augustino, quod scripserit, peccatum in Baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur: quod nusquam scripsit S. Augustinus, sed contrarium asseruit quàm plurimis in locis. Similiter Protestantes aduersus Consiliū Tridentinum, anno 62. asserunt, S. Ambrosium negare, per iustos nos ire posse ad Deum; cum tamen dicat, per istos (intelligens Paganorum Deos) non posse iri ad Deum: sic uocem, Istos, de industria & fraudulentè corruptentes & mutantes in Iustos. Sic etiam eadem Apologia Augustana apertè de S. Patribus mentiri nō erubescit, affirmans, ueteres scriptores ante S. Gregorium nullam fecisse Sanctorum inuocationis mentionem; cum tamen Diuus Athanasius, Gregorius Nisenus, Ephrem, Theodoretus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Origenes, & multi alij, qui ante Gregorium extiterunt, non tantum eius mentionem fecerint, sed etiam inuocationem & uerbo & exemplo docuerint. Ne quis igitur talibus eorum imposturis decipiatur, Patres ipsos inspiciat, & locorum ab ipsis citatorum uerba & circumstantias sedulò expendat: Facile enim fallitur, qui temere credit talibus impostoribus.

Vide Elenchum hereticum auctore Gabriele Praetolo.

*Decima tertia.* Me item ingenuè comperisse fateor, concionatores Lutheranos in multis articulis Turcis & Mahometistis magis patrocinari, quàm Christianis, & ipsorum mores & ritus propemodum per Cacozealian imitari & repræsentare.

Decio

*Decima quarta.* Quod super hæc omnia longa experientia notauerim, quales fructus ipsorum fides & religio produxerit, tales uidelicet, ut quisque, quod libet, sibi licere putet. Quæ quidem libertas carnis (quam tamen ipsi Christianam appellant) hoc efficit, ut in reprobis sensum tradantur, & ut inter eos omnis generis scelera ubique locorum summa licentia & impunitate grassentur.

*Vide tabulam Staphyli de concordia fratrum Euan gelicorum. Concio. 3. habit. 1546. Tomo. 4. fol. 597. pag. 2.*

*Decima quinta.* Quod intellexerim quoque, omnes penè sectas, quotquot hac nostra ætate grassantur, non aliunde, nisi ex eiusdem Lutheri libris & doctrina, tanquam ex scaturigine pro manasse & propagatas esse.

*Decima sexta.* Quod etiam inuenerim in eius operibus multas acerbissimas criminationes & cõuitia, quibus omnes suos aduersarios proscindere & insectari, sibiçp soli omnem laudem uendicare & tribuere solet. Et non solum non parcat Prælati & Theologis: sed nec quidem Romano Pontifici, Episcopis, Academicis, atq; aded ipsi Cæsareg Maiestati, Regibus, Principibus, & alijs Imperij ordinibus, imò etiam beatis ipsis cum Christo regnantibus, ut sese uerum eius præcursorem esse demonstret, de quo nouissimis temporibus uenturo iam olim Daniel Propheta, & S. Ioannes in Apocalypsi uaticinati sunt: Quod futurus esset Rex impudens facie, qui cor suum magnificabit, cuiçp dabitur os loquens magna & blasphemias contra Deum, tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.

*Decima septima.* Quod ex ipsiusmet scriptis & Tomis perspexerim, non solum Ecclesiasticas personas, uidelicet Pontificem & Episcopos, ac Academijs celeberrimas, sed etiam Imperij status & ordines Lutherana

B

nam



nam religionem & fidem, ut summam impietatem & hæresin manifestam in ipso exortu damnasse & proscripsisse.

*Decima octaua.* Nec parum & illud me mouisse fa-  
teor, quòd Lutherani concionatores usq; adeò oculati  
sint in peccata, & leuissimos næuos Catholicorum, ut  
eos non solum diligenter obseruare, & notare consue-  
uerint: sed etiam eosdem pro concione usq; adeò ex-  
aggerare, ut ex musca Elephãtem facientes, uniuersum  
illorum ministerium, & doctrinam suspectam & odio-  
sam reddant: Cum tamen è diuerso, si ex uita & mori-  
bus fides & religio iudicãda est, nusquam minùs, quàm  
apud illos ueram doctrinam sonare iudicandum sit;  
quippe qui multis modis Catholicorum flagitia in tam  
breui sui noui Euangelij cursu superasse uideantur:  
Nam, ut de sola libidine dicam, cum ipsi Conciatores  
uxores ducant, adeò illis nõ contenti sunt, ut ad ex-  
plendam insatiabilem suam libidinem frequenter iuxta  
Lutheri doctrinam etiam ancillis abuti, & (quod magis  
scœdum est) aliorum uxoribus uim afferre, commuta-  
tionemq; uxorum inter se mutuò instituere non eru-  
bescant. Quod tam aperte de ipsis affirmare & scribere  
non auderem, nisi tamdiu inter eos uersatus id certò &  
cebrò cum multis alijs comperissem. Taceò qui tentent  
frequenter inter audiendum confessiones, quorsum  
tam sæpe ægritudines simulent, infirmos uisitent, con-  
uiuia quædam instituunt. Hoc unicum libet referre de  
quodam non infimæ fortis concionatore, qui mecum  
pacisci contendebat de commutandis inter nos uoris  
bus: & ad id faciendum quodammodo me ui cogere  
uolebat, cum uideret, me nulla ratione in tantum scelus  
uelle

uelle acquiescere. Plura id genus præclara facinorapud  
dor prohibet longius commemorare.

*Decima nona.* Non etiam sine falsitatis opinione  
paucis ab hinc annis uidere potui, Lutheranorum reli-  
gionem sensim collabi & intestinis dissensionibus in  
perniciem & interitum adduci: cōcionatores & Aca-  
demiarum professores in mutua odia religionis exar-  
descere, aded ut nec Superintendentens Superintendentē,  
nec Minister Ministrum, nec ædituum ferat ædituus:  
dominari palàm fædas partium criminationes, aperta  
conuitia, & execranda anathematum fulmina: in con-  
stituenda religione cuiq; quod libet, licere: nullum es-  
se disputationis ordinem nullam dirimendarum con-  
trouersiarum certam & constantem regulam, nullam  
ueritatis & fidei tutum asylum. Quæ ex re grauissimæ  
existent necesse est & deplorandę calamitates, & extre-  
mæ afflictarum conscientiarum desperationes.

*Vicesima.* Hic etiam de Barbarica illa ignorantia di-  
cendum est, quæ paulatim inter eosdem Lutheranos ita  
creuit, ut uix maius incrementum sumere posse uidea-  
tur: Postquam enim antesignani illorum, qui à Catho-  
licis instituti, doctrina maiori præstabant, mortui sunt,  
nullus penè amplius restat, de uerè solideq; doctis uir-  
ris, qui causam religionis Lutheranae paulò accuratiùs  
agere, uel propugnare possit: Nam si qui sunt, qui sibi  
aliquam eruditionem tribuunt, illi tamen ridiculè in-  
eptiunt, & rhetoricantur in suis scriptis, & concioni-  
bus, ut uix operæ pretium sit, eas legere uel audire. Nec  
tamen aliud quicquam tractant, quàm uetera suorum  
Præceptorum mendacia, quæ iam pridem à tot scripto-  
ribus Catholicis sunt confutata. Vnde fit, ut in tanta

penuria literatorum, ad administrationem Verbi DEI & Sacramentorum sese ingerant leuissimi homines, perfidi Monachi, Sartores, Sutores, Lictores, Carnifices, & similes cerdone, ut dignum sit patella operculum, & similes habeant labra lactucas: licet nihilominus iactitent, & glorientur, se non quosuis, sed tantum perfectæ probitatis & eruditionis uiros ad tractandum ministerium admittere. Contrà uerò maximus est uirorum Catholicorum numerus, qui excellunt omni doctrinarum genere; sicut eorum libri, quos singulis annis edunt, testantur.

*Vicesima prima.* Quòd etiam meminerim, quàm plurimos ad tantam desperationem uenire, ut in tanta fidei suæ certitudine & fiducia, uitam sibi ipsis non dubitè uel laqueo, uel alio supplicij genere extorquere: cuius rei apud eos frequentissima extant exempla, quæ quidem uanitatem doctrinæ Lutheranae in erigendis perterrefactis conscientijs ( ut ipsi loquuntur ) nō obscure ostendunt. Sed talium desperationum nulla iam me tenet admiratio, quando quidem & extra Ecclesiam sunt, in qua sola uera consolatio inuenitur, & ueris ministris Sacramentorum, ueraq; absolutione peccatorum destituuntur. Quare mihi non fit uerisimile, aliquem ex Catholicis sanæ mentis, ulla ratione flecti, aut persuaderi in posterum posse, ut à fide sua deficiat ad Lutheranismi impietatem, in quo uix aliud præter mezeram confusionē omnium rerum, & cōscientiarum trepidationē, uel puer septimum annū egressus, animaduertere & agnoscere queat. Quæ quidem res etiam ipsos Lutheranos Concionatores miris modis angit & cōfundit, ita ut ferè nihil minùs uerum esse statuunt, quàm

quàm suam religionem & doctrinam. Ideoq̄ simul  
eam paulatim magis magisque ipsimet fastidire incipiunt,  
ut qui nouerint, eam uerè paradoxon esse conflatum  
ex longè diuersis, & non coherentibus membris, sine  
Verbo DEI, & contra doctrinā Christi, Prophetarum,  
& Apostolorum; eiusq̄ promulgationem iusto DEI  
iudicio permissam esse, propter scelera & ingritudi-  
nem mundi: nec tamen idem dogma perpetuò mansu-  
ram, sed breui funditus interiturum esse non solum sus-  
picantur, sed etiam quodammodo certò sciunt, & pau-  
lò post, perinde ut illorum Maiores & Antecessores  
hæretici, re ipsa experientur. Maxima etiam pars præ-  
sertim uociferatorum & scriptorum, qui inter eos sunt,  
iam pridem religionem propriam unà cum ipsa Augus-  
tana Confessione negligere & deserere pergunt, cum  
uideant se eam amplius defendere & tueri non posse:  
sicut apparet ex illis absurdis puerilibus, & ridiculis scri-  
ptis, quibus ad libros Catholicorum tam ineptè & fri-  
gidè respondent. Vnde facile est conijcere, nihil præter  
fæces & rudera amplius apud ipsos restare, & omnia  
ruinam undiq̄ minari.

*Vicesima secunda.* Quòd postremò re tota bene cõ-  
siderata animaduenterim, me in Lutheranorum cætu  
permanère, & eorum doctrinæ acquiescere non posse,  
nisi uelim per summam impietatem simul damnare om-  
nes pios Maiores nostros, & tot sanctos Ecclesiæ Cas-  
tholicæ Doctores, qui ante Lutherum extiterunt: Cer-  
tò enim didici eos cum Romana Ecclesia doctrina  
& fide communicasse, & Romanum Pontificem pro  
Christi Vicario & S. Petri in Pastoralis munere succes-  
sore agnouisse. Certum enim habeo (ut de alijs articu-

listaceam) eos Sanctorum inuocationem, Reliquiarum uenerationem, & Missæ sacrificium approbasse. Certum est denique eos in ea doctrina tuenda, & in Romanæ Ecclesiæ communionem constantes usque ad extremum uitæ spiritum permansisse. Lutherani autem Ecclesiam pro meretrice Babylonica, Romanorum Pontificem pro Antichristo habendum esse contendunt: Sanctorum inuocationem, & Reliquiarum uenerationem, ac Missæ sacrificium, tanquam summam idololatriam execrantur. Vel itaque profiteri oportet, omnes Maiores nostros, & Ecclesiæ Doctores, ac Pastores hæreticos fuisse, atque ad extremum damnatos esse, neque quemquam uitam æternam consequuturum, nisi qui partes Lutheri sequutus fuerit: Vel si Maiores nostri salui facti sunt, consequens est, Lutheranos saluos fieri, nisi resipiscant, non posse: Nam sine fide, eademque uera, una, & Catholica, impossibile est placere DEO; & consensu omnium, extra Ecclesiam non est salus. Ecclesiam intellige, quæ uera est, quæ una, quæ à Christo ita supra petram ædificata est, ut portæ Inferi non sint aduersus eam præualituræ, quæ perpetuo est duratura. Quod quomodo in Ecclesiam Lutheranorum conueniat, non uideo, cum ea paucis ab hinc annis primum sit exorta, & breui, sicut non obscure præ se fert, sit interitura. Quomodo item fides Lutherana uera esse potest, quæ neque una est in se, sed in tot sectas dissecta, neque una cum Maiorum nostrorum & S. Patrum fide: Neque enim in toto orbe terrarum demonstrare possunt, uel locum aliquem, ubi eorum fides ante Lutherum prædicata fuerit: aut scriptorem unicum uel authorem, qui idem per omnia cum Luthero, uel Confessione Augustana  
sens

senferit & fcripferit: licet fatear, in hoc articulo cum illo  
hæretico, in ifto cum alio, atq; iterum alio conuenire,  
ut fuprà dixi.

Quare mihi nulla ratione falutem meam negligenda  
efle duxi, fed ad antiquæ, ueræ Ecclefiæ castra mihi  
efle conuolandum, in qua tot fancti & præclari Maiores  
noftri fanctè & piè ufq; in finem militârunt, ubi funt  
ueri Paftores, ubi uerum DEI Verbum annuntiat, ubi funt  
uera Sacramenta adminiftrantur, uerus DEI cultus  
uiget, & uera falus expectanda eft. Ad ueram itaq; falu-  
tatem, falutaremq; ueritatem fectâdam omnes eodem  
errore, quo ego fui, fascinatos inuito: Deumq; præ-  
cor, qui dixit, de tenebris lumen fplendefcere, ut ueris-  
tatis fuæ luce, eorum mentes illuftrare, & ad falutis fuæ  
portum dirigere & perducere fua benignitate dif-  
gnetur, ut fiat unum ouile, & unus paftor,

& feruemus in una fpe uocationis  
noftre unitatem Spiritus  
in uinculo pacis,  
AMEN.

*Societas seu Paderborna*



scribitur & scribitur; licet faciat in hoc articulo contra  
hereticos, in isto cum alio, sed iterum alio conuenit  
in hoc dicitur.

Quare nihil illarum habent meam negligenter  
de esse dixi, sed ad amplexus, uere Ecclesie catholicae  
esse conuolantur, in dicitur sancti & presbyteri Maior  
res non in sancti & presbyteri in unum millierum, ubi sunt  
uere pastores, ubi uerum DEUM uerum annuntiant  
uere sacramenta administrant, uere DEUM cultus  
ingit, & uere salus expectanda est. Ad ueritatem  
hanc saluam ueritatem lectam omnes eodem  
errore, quo ego sum, saluatos uenio: Denique per  
coram dicit, de tenetis hanc splendescere, ut uere  
talem hanc uere ueritatem illustrare, & ad saluam  
potum dirigere & perducere sua benignitate dis  
gunt, ueritatem omne, & uere pastor,  
uenerunt in uispe uocantur

in articulo  
AMEN.

